

casu concurrat, quæ licet meritorum valorem excedat, ex munificencia Principis, cui sat est ut ipsa respondeat, nihilominus remunerandi legem assumit, & advertit Barbat. in c. sedes, n. 14. cum seqq. de rescrip. Tiraq. in l. si unquam, in verb. donat. largitus, n. 84. cum seqq. C. de revoc. don. Menoch. de arbitr. cas. 132, nu. 9, & conf. 1003. n. 63. Decian. conf. 25, n. 79, lib. 1. Cardin. Mant. de tacit. lib. 13, tit. 15, n. 35. Masc. de prob. concl. 186, n. 16, & 17. Valaf. decis. 72, n. 5, & 6.

Denique non poterit observantia assensus Regii adhiberi in obligatione officii hypothecam excludere. Præterquam enim * ea in præjudicium creditorum induci non potuit, quibus jus quæsitum fuerat super officio ex onerosa causa recepto, ut responsum fuit in hac eadem causa sub die 8. Junii 1654. in §. Omnemque prorsus eliminat in fin. coram R. P. D. meo Bichio, desumi eadem

14 observantia * non poterit ex præfinito consensu in erectione primogenituræ requisito pro excludendis detractionibus aliis super officio admittendis, ut advertit Molin. de primog. lib. 2, c. 1, sub n. 4, & 10. cum seqq. & n. 25, 26, & c. 17, n. 2, neque ex altero * ex impositione census scut. 50. mil. voluntariè, ad majorem dumtaxat cautelam adhibito, ut respondit Rot. coram Andr. decis. 92, n. 4, & 7.

Et ita utraque, &c.

DECISIO CXVI.

R. P. D. ALBERGATO.

Reatina Castrorum.

Lunæ 29. Junii 1656.

SUMMARIUM.

- 1 Alimenta, & sumptus litis pauperi debentur habenti bonum jus, Judicis arbitrio in quantitate taxantur, n. 6.
- 2 Boni juris præsumptio oritur ex sententia. Amplia, ut n. 3. & ex decisionibus, n. 4.
- 5 Paupertas per testes probatur. De tempore petitionis alimentorum inspicitur, n. 13.
- 7 Perjurus in judicio non auditur.
- 8 Absolutio à juramento non est necessaria in eo, qui impugnat contractum ex non implemento.
- 9 Jura sibi reservata in aliquem casum eo eveniente in judicium deducuntur.
- 10 Perjurium repellit à judicio quoad actum juratum, secus quoad alios, ut evitetur interpretatio capienda est, n. 12.
- 11 Transactio ex solutione ratificatur.

Tancredi Marerio, cui in possessionem quinque ex duodecim partibus Castrorum, de quibus agitur, dandam esse immisionem sententiâ Rotali, pronunciatum fuit, & deinde Egidianam non intrare declaratum alimenta, & sumptus litis hodie Domini dixerunt, Thomæ pariter de Marerii esse subministranda, cum de præsumptione boni juris, & paupertate illius copulativa necessaria sufficienter constare visum fuerit, Decian. conf. 69, n. 2. lib. 2, Covar. pract. quest. c. 6, sub n. 7. Gratian. discept. 55, numer. 49, Surd. de alim. tit. 1. part. 110, n. 8, & quest. 120, n. 3, & seq. Adden. ad sanct. mem. Gregor. XV. decis. 189, n. 70. Rota coram Burat. decis. 261, n. 1. & in recent. decis. 617, n. 6, ubi annot. num. 28, part. 4, tom. 3, & in Anconitana alimentorum 4 Junii 1646. in princ. coram bon. me. Arguelles.

Boni juris præsumptio ex sententiâ Rotali prædicta ad ejus favorem * emanata resultat ad tradit. per Rotam, decis. 250, n. 2 part. 1, recent. ut in Romana bonorum, seu usufructus 19. Januarii 1652. §. Neque enim sufficeret coram R. P. D. meo Zarate; quod procedit, quamvis per appellationem + ab adversariis interpositam suspensa remanserunt, Rota, coram Cardinali Caval. decis. 554, n. 2. Burat. decis. 206, n. 7, cum concordantibus in Zanen. dotis 20. Novembris 1641. §. Præsumptio boni juris coram R. P. D. meo Cerro, concurrentibus præcipue decisionibus, * in 2. instantia coram me editis, quæ pariter boni juris præsumptionem inducunt, Rota dec. 34, n. 3, p. 7, cum aliis, in dict. Anconitana alimentorum, §. præsumptio etiam, & Roma Bonorum, ubi supra. Paupertas autem ipsius probatur per testes nuper examinatos, qui bene extrinsecam ipsius paupertatem concludunt, ipsamque nihil possidere, & dictum ex alimentis à Monialibus Turris Speculorum illi transmissis vivere, per testes * autem paupertatem probari receptissimum est, Rota dec. 498, nu. 4. part. 3, & d. decis. 617, n. 7, p. 4. rec. tom. 3, & coram Burat. d. decis. 261, n. 2. vers. de paupertate; & ad hunc effectum communis reputatio, de qua deponunt, ipsi sufficeret, Rot. coram Seraph. dec. 51, & dec. 58, utrobique n. 1. & in Toletana matrimonii 1. Februarii 1649, coram Eminentissimo Cardinali Corrado.

Quantitatem verò alimentorum, & sumptus litis taxarunt Domini in scutis viginti mensuris, quia habito respectu ad bona quæ Tancredi debita fuerunt declarata ad necessitatem alimentandi, & ad expensas in lite hac Rotali in summa non exigua necessarias, ad hanc usque quantitatem arbitrium extendere placuit, cum in hujusmodi materia quantitas * ut plurimum religioni, & Judicis arbitrio remittatur, & text. in l. 2, ff. ubi pupill. educ. deb. Menoch. de arb. jud. 269, n. 1, & seq. Molin. de primog. Hisp. lib. 2, c. 16, n. 47, vers. ipsi tamen inquit, Rot. coram Merl. dec. 7, n. 7. & in Romana alimentorum 1. Aprilis 1639, §. quantitatem autem coram bon. me. Pirovano, & in Romana matrimonii 1. Julii 1643, §. ult. vers. pro qua taxanda, coram R. P. D. meo Bichio.

Non obstat quod Tancredus transactionem à se celebratam pro cassa & resoluta habere velle juravit, & deinde illius vigore nulla præcedente absolute immisionem petierit, unde tanquam perjurus + à limine judicii repellendus est, Rota coram Coccino dec. 268, n. 2, & dec. 5, n. 1. p. 2, recent. Quia ultra quod hæc receptio perjurii post sententiam apposta non relevat, & remissa censetur, cum ante diffinitivam apponenda sit, Lofred. conf. 12, n. 33. Seraph. de privil. juram. privil. 174, n. 12, in princ. Rota post 2. volum. conf. Farinac. decis. 224, n. 1, in fine, responsum fuit quod cum transactio à die celebrationis ipsius, deberet intra mensem cum dimidio à Marco Antonio, & Actilio ratificari, & tamen non fuerit subsequuta ratificatio nisi longè post, ut ex protestatione Tancredis data in summar. Thomæ, & fratrum, n. 70, impugnando à principio transactionem Tancredis, ex c. non adimplem, in tempore convento non dicitur in perjurium incidisse, neque absolutio à juramento * requirebatur ad tradita per Cravet. conf. 127, n. 16, Corn. conf. 11, n. 7, lib. 3.

Præterea animadversum fuit, quod Tancredus, neque suam portionem Castrorum, neque hodie alimenta petit vigore transactionis, quam pro cassa habere velle juravit, sed ex juribus * in eadem

eadem reservatis in casu mortis patruorum sine filiis suas rationes prosequitur, quia postquam casus mortis in ea consideratus evenit utique Tancredis jura in eum casum sibi præservata in judicium deducere licuit, Rota in hac Reatina Castrorum 27. Februarii 1651, in princ. coram Reverendiss. Dom. meo Decano, & motivo transactionis respondendo 31. Januarii hujus anni 1656, §. nec denique refragatur coram me: Et circumscripta petitione alimentorum vigore transactionis; & si in illa sine præjudicio Tancredis fuisset perjurus, illi tamen hæc exceptio opponi non posset, cum perjurium + à judicio solum repellat quoad actiones illas, super quibus juramentum fuit interpositum, non autem quoad alias, Roman. singul. 499, n. 2, Seraph. de privileg. juram. d. privileg. 774, n. 16, in fin. vers. secundo limita. Farinacius de falsit. simul. quest. 160, n. 194, Rota decis. 97, n. 10, part. 2, divers.

Nec relevat transactionem à Hieronymo Marco Antonio, & Attilio satis fuisse ratificatam + per solutionem scutorum bis mille à Tancrede acceptatam, ut declaravit Rota in hac causa sub die 3. Julii 1651, §. fin. coram Reverendiss. Dom. Decano; servata autem ratificatione transactionis ab illa non potuit Tancredus sine perjurio recedere: nam eadem adaptatur responsio quod serotina est hujusmodi exceptio.

Et ulterius probabiliter credere potuit Tancredus, quod tacita hæc ratificatio transactionis pro implemento promissionis non sufficeret cum pactum de expressa ratificatione extra limites certi temporis faciendi loqueretur; credulitas autem ista justam præbet causam excusandi à perjurio Tancredem cum omnis interpretatio sumenda sit ad evitandum perjurium, + à quo quælibet causa, quantumvis levis excuset ad effectum, ne à limine Judicii quis repellatur. Bart. 27, in l. si quis major 41, n. 33, & seq. cum n. 47, C. de transact. Marefco. var. resol. lib. 2. c. 121, n. 84, & seq. ubi quoad effectum incurrendi perjurium dolus, & perfidia est necessaria, Surd. decis. 58, n. 4. Rota apud Pacif. de Salyan. decis. 167, n. 5, & decis. 367, n. 7, part. 4, recent.

Minus officit, quod Tancredus ultra scuta 4100. habuerit etiam ex Castro nuncupato Collesegato, multa animalia, & bona ingentis valoris: Quia omisso, quod pro monachandis fororibus pars ipsorum impensa fuit, & in hac lite pars non modica verisimiliter consumpta esse potuit, dixerunt Domini sufficere, quod nunc in statu paupertatis extremæ reperiatur, cum tempus + petitionis alimentorum in eorum subministrazione, sit attendendum, ut notissimum est, & firmant auctoritates in principio allegatæ.

Et ita scuta 20. mensura Tancred. esse ab adversariis solvenda utraque parte informante resolutum fuit.

DECISIO CXVII.

R. P. D. BEVILACQUA.

Interamnen. fideicommissi.

Lunæ 19. Junii 1656.

SUMMARIUM.

- 1 Dicitio, quandoque, comprehendit omnem

- casum, & omne tempus.
- 2 Verba, si sine filiis, comprehendunt omnem casum, & omne tempus.
- 3 Verbum, succedat, est commune.
- 4 Compendiosa substitutio continet vulgarem.
- 5 Vulgaris substitutio intrat prædefuncto instituto substituto.
- 6 Conditio, si sine filiis, debet adimpleri, etiam in vulgari. Attenditur, per quam differtur successio, numer. 8.
- 7 Caducato priori gradu substitutionis, sequens subintrat.
- 9 Jus accrescendi habet locum in conjunctis re, & verbis, & n. 10.
- 11 Fideicommissum ob prædecessum substituti fit caducum.
- 12 Clausula, constituti, non operatur contra tertium. Declara, ut n. 14.
- 13 Immissionem ad obtinendam possessionem fideicommissentis est probanda.
- 15 Hæres etiam cum inventario teneretur servare factum defuncti pro relievo Inventarii, & de ratione, n. 16. Etiam cum Inventario præsumitur sibi satisfecisse, num. 21.
- 17 Exceptio, l. Quintus Mutius, §. 2. & l. etiam de donat. inter vir. & uxor. non admittitur ad impediendam immissionem, & nu. 18, & 19.
- 20 Fraus in Tutrice ex quibus excludatur.
- 22 Exceptio solutionis omnem dirimit actionem.
- 23 Inventarii ommissio non tollit, quominus hæres pro suo credito possit retinere causam contra fideicommissarium universalem. Declara, ut numer. 24.
- 25 Tutrix tenetur confiscare libros tutelares.
- 26 Libri tutelares ad hæredes tutoris, non autem ad fideicommissarios pertinent.
- 27 Redditio rationum peti nequit, nisi libris exhibitis; Ex quibus facta præsumatur, num. 29.
- 28 Tutores contra, actio durat per triginta annos.
- 30 Fructus bonorum pupilli cum alimentis, & aliis expensis sunt computandi.
- 31 Mobilia emptoris lapsu præsumuntur consumpta.
- 32 Animalia ex lapsu temporis præsumuntur demortua.
- 33 Tutor non tenetur reddere rationem, nisi de perceptis.
- 34 Descriptio erronea in Inventario non præjudicat.
- 35 Immissionis in judicio non admittuntur exceptiones turbide. Amplia, ut n. 36.

Resolutum fuit sub die 26. Januar. 1654, coram me, Fratribus de Paradis esse dandam immisionem super certis bonis fideicommissio Fabiæ suppositis, nec obstat detractiones per Claram ream conventam oppositas, qua resolutione iterum in disputationem deducta Domini in ea persisterunt: Nam fideicommissum clarè patet ex eo, quod Anastasio hæredi universali à testatrice instituto quandocunque sine filiis decedenti fuerunt pro rata scut. 600, substituti Fratres de Paradis; in remanenti verò bonorum quantitate Felicitæ dicti Anastasii foror, & in hoc casu obitus ejusdem Felicitæ pariter quandocunque absque filiis deberent iidem

iidem fratres succedere; unde de existentia fideicommissi dubitari non potest, quia verba *quandocumque, & sine filiis*, in utraque substitutione adjecta aperte indicant compendiosam substitutionem, ut de dictione *quandocumque*, quæ ejus est naturæ ut comprehendat omne tempus, & quemcumque casum, quo institutus hæres non sit, Bart. in l. *Centurio* 13, n. 17, ff. de vulg. & pupil. Calcan. conf. 108, n. 8, Neviz. conf. 53, n. 3. Decian. conf. 1. n. 9, lib. 1. Peregr. de fideico. art. 34, in princ. & de verbis si sine filiis. idem Bart. post Azor in d. l. *Centurio*. col. 1. vers. ad 1. Neviz. in cit. conf. 53, nu. 2. Decian. conf. 572, in princ. Rimin. sen. conf. 106, n. 5, lib. 1. Gratian. discept. fore. c. 407, n. 1, Rota decif. 656, n. 2. part. 4, rec. compendiosa autem substitutio; ubi præsertim, ut hic, est concepta per verbum succedat + quod est commune, l. *Pagnutius* 16, de testam. l. *generaliter* 6. §. cum autem. C. de instit. & substit. continet + vulgarem, Bart. in ead. l. *Centurio*, n. 32, Castr. conf. 152, n. 2, lib. 1, Trentacinq. conf. 2, aliique adducti in præterita decif. §. quoad existentiam; Cùmque casu vulgaris substitutionis eveniret ob prædecessum Felicitæ + Anastasio sine filiis defuncto, ut testatrix consideravit, apertum est fideicommissum ad favorem Fratrum de Paradis, ut bona fideicommissaria consequantur, l. *fin. c. de edict. Div. ADR. tol. l. filium quem habentem* 24. C. *sum. ericif. Cravet. conf. 283, n. 1, vers. sed præscripto*, Rota d. decif. 656, n. 2, in *fin. part. 4. rec.*

Nec dicatur locum esse præfatæ Fratrum de Paradis substitutioni, ex quo vocati fuerunt ad totam hæreditatem, casu quo Felicitæ substituta Anastasio decederet sine filiis, & tamen illa obiit relicta unica filia Elisabetha nuncupata, per cujus existentiam defecit conditio; si sine filiis, + quæ etiam in casu vulgaris substitutionis debet adimpleri, l. *non est sine liberis* 148, ff. de verb. signific. Pater Serviana 100, §. ita fideicommissio, de condit. & demonstr. l. 1. Cod. de fideic. condit. institut. Baron in l. *Centurio* n. 32, ff. de vulg. & pupill. quia cùm substitutio Felicitæ remanserit caducata ob ejus prædecessum non habetur in consideratione conditio apposita sequenti gradui, si illa decesserit sine filiis, talis enim conditio fuit apposita præsupposito casu, quod Felicitæ admitteretur ab substitutionem, ea autem non admissa subintraret in illius locum Paradisi per compendiosam continentem sub se vulgarem, & fideicommissariam substitutionem nullo habito respectu, + quod Felicitæ relinqueret filiam deinde defunctam, ut de condit. text. in l. *quamdiu* 68, vers. *Is autem*, & ibi Bart. communiter approbatus, ff. de acquir. hæred. Castr. d. conf. 152, n. 2 lib. 1. Socin. jun. conf. 101, n. 14, lib. 1, & conf. 181, n. 46, & 47, lib. 2. Cravet. consil. 283, n. 1, vers. hoc præsupposito, Guidop. decif. 150. Thef. decif. 85, per tot. Modern. Mantuan. contr. 269, n. 35. & seq. debet quidem conditio verificari, sed illa est apposita gradui cui succeditur, hoc est, hæredis gravati, non autem quæ est adjecta gradui caducato, nempe primi substituti, qui prædecessit: nam ex vulgari si deficit primus gradus respectu Felicitæ, non deficit in personam Fratrum de Paradis, qui hoc casu succedunt hæredi gravato, cùm conditio + tantum attendatur, per quam differtur successio, Surd. conf. 279, n. 1. & optimè ratiocinatur Rota coram Duran. decif. 339, n. 74, cum seq. & firmant alii allegati in d. §. non obstat quod Felicitæ.

Non obstat quod saltem respectu tertix par-

tis, quæ spectabat ad Paulum unum ex tribus fratribus vocatis non comperat immissio, dum ille prædecesserit Anastasio hæredi gravato penes quem Claræ colligitantis auctorem eadem tertia pars libera remansit, quoniam existimatum fuit, quod potius accrevit portionibus aliorum substitutorum, superviventium, ex particula enim testamenti exhibita contra illos re, & + esse conjunctos, ex qua reali & verbali conjunctione habet locum jus accrescendi antè, & post quæsitam portionem, l. cum triplici, ff. de verb. signi. Bart. & Bald. in l. 1, §. interdum, ff. de usufr. accres. idem Bart. in l. re conjuncti 87, n. 16, de legat. 3. Menoch. de præsumpt. lib. 4, præsumpt. 159, n. 18. Valsq. de success. lib. 1, c. 1, n. 128. Quamvis fat esset ad jus accrescendi subditos tantummodo verbis + fuisse conjunctos, & re non totaliter distinctos, l. 1. §. ubi autem, C. de cad. toll. l. si duob. §. fin. ff. de legat. 1. Bart. in d. l. re conjuncti, n. 23, & ibi Crot. n. 84. Cephal. conf. 123, n. 2, lib. 1. Socin. jun. conf. 139, n. 20, & 21, lib. 1. Graud. discept. 807, n. 24, & seq. Peregr. de fideic. art. 1, n. 8. Rota diverf. decif. 506, per tot. par. coram Penia, decif. 61, n. 1. & in Romana fideicommissi de Marianis 21. Junii 1650, coram Rev. rendissim. Farraconen. Quapropter super existentibus fratres totaliter conjuncti ad omnia bona in fideicommissio comprehensa debent admitti non obstante, * quod pro dicta Pauli portione, per illius mortem ante gravatum effectum fuerit caducum, ad l. si totam 82, ff. de acquir. vel omit. her. Bart. & ceteri in l. Marcelus 3, §. quidem, ff. ad Trebel. & in term. Soc. sen. conf. 94, ad fin. vers. sed quia mihi narratur lib. 4.

Nec retardari potest immissio sub prætextu, quod non probetur bona remansisse in hæreditate Fabiæ testatrix tempore suæ mortis, & post eam devenisse ad Claram, modo ad illa dimittenda concessata, quæ præterit bona, pro suis dotibus retinere, idè ad versus eam uti tertiam nihil operetur clausula *constitui* * adjecta in instrumentis acquisitionum a d. Fabia factarum ex cumulatis per Modern. de manutent. obser. 2, n. 32, quæ fideicommissentis possessio * tanquam adamentum intentionis agentium ex fideicommissio est plenè probanda, l. *fin. de edict. Divi ADR. toll. Mant. decif. 33, n. 9. Duran. dec. 201, n. 1. si quidem ut respondet l. decisio §. firmatis igitur, & seqq. utrumque justificatur ex dictis emptionum documentis clausulam constituti habentibus ex assertione Fabiæ in testamento, ac ex dispositionibus testium datis in die decisionis, ac Inventario de bonis hæreditariis Anastasii ejusdem Fabiæ hæredis ab ipsa Clara confecto, quæ omnia bene concludunt bona in hæreditate fideicommissentis fuisse, & suffragantur ad obtinendam immisionem, cùm non subsistat Claram esse tertiam bonorum posseditricem aliquo singulari titulo, sed hæredem Anastasii hæredis dictæ Fabiæ; quo casu sufficit apparere bona petita fuisse in hæreditate testatrix, * cujus turpitudinem allegando, non debet hæres dicere bona ab illa possessa fuisse aliena, Bald. conf. 352, in *fin. lib. Magon. decif. Florent. 37, n. 2. pluresque alii relati per Modern. de substit. loquentem de hærede hæredis in q. 16, n. 4. Et quamvis Clara hæreditatem Anastasii adiverit cum beneficio legis & inventarii, adhuc tamen illius factum controvertere nequit * donec rationem reddat de omnibus bonis inventariatis, & quouque suppetant vires hæreditariæ; Inventarii beneficium inventum fuit + ut hæredem à damno præservet, non autem ut ille bona lucretur, quæ teneatur vocatis restituere, Rot. decif. 115, n. 3, p. 5, rec. & in Romana**

minus officit ad impediendam immisionem repetita exceptio, quod bona controversa per Fabiam empta, & fideicommissio supposita præsumantur acquisita ex effectibus Pandis filii, * quos ipsa administravit ad tollendam turpis quæstus suspitionem leg. Quintus Mutius 52, & l. etiam ff. de donat. inter vir. & uxor. quia præter quod exceptio deducta ex præsumptione d. l. juxta magis communem opinionem in hoc judicio non admittitur l. *fin. C. quorum bonor. Socin. senior consil. 13, n. 6. Menoch. de præsumpt. lib. 3, præsumpt. 51, nu. 44. Rota coram Duran. decif. 197, n. 6, & 393, n. 7. repetita in 5. part. rec. dec. 275, n. 11, cum cæteris in decif. citatis §. non urget in fine, in divisione de anno 1586, sequuta inter filios, & fratres Octavii dictæ Fabiæ viri fuit eidem quoque restituta dos scutorum mille, & loco pecuniarum tot census assignati, ex quorum fructibus ad considerabilem annuam summam ascendentes, ac forte principali à pluribus illorum impositionibus successively redempta, potuit Fabia hæc bona acquirere, & in alios census reinvestiri, * cum ipsa haberet alimenta necessaria ex substantia d. mariti prædefuncti, à quo in Testamento hæres usufructuaria omnium bonorum fuerat relicta secundum consuetudinem Bulgari glos. magna in auth. hoc locum C. secund. nupt. Bartol. & ceteri in l. Titia 35, ff. de legat. 2. Gozzad. conf. 47, n. 1, & conf. 99, n. 8. Mant. de conjell. ult. volunt. lib. 9, tit. 7, n. 1, & seq. Boër. decif. 194, n. 4. Et hinc non intrat regula l. Quintus Mutius, quæ tota fundata est in præsumptione, & dubio quod mulier acquisiverit ex bonis viri, & ex administratis, sed quando appareat unde quæsit, puta quia * aliunde bona haberet ut in præfenti casu cessat d. l. dispositio, ut præter allegatos in decif. §. non urget est glos. in c. si manifesta 21, verbo probant. 12, q. 1, Bald. 67, n. 1, lib. 5, Aym. conf. 61, n. 7. Gerard. de Petra Sancta sing. 99, n. 3. Boër. dec. 81, n. 2, Rota coram bo. me. Merlino dec. 485, n. 4.*

Non movet, quod dicitur dolum à Fabia fuisse commissum in administratione bonorum Paradis, & aliorum filiorum dum declarationem factam in Instrumento census scut. 100. ab uxore Stephan. impoſui, illumque pro rata ad prædictos filios tanquam ex propriis pecuniis emptum spectare tacuit in retrocessione, quam postea de eo unà cum fructibus eidem Stephanuccio fecit, quia nullibi apparet has pecunias sibi Fabiam appropriasse, quinimò cum esset filiorum Tutrix, & paulo post d. retrovenditionem ad computum dotis Tutrix unius ex prædictis suis filiis scut. 300. solverit * in extinctionem hujusmodi debiti pecunias erogasse censetur, & omnifque excluditur fraus l. actioe & ibi Bartol. ff. de tutel. & rat. distrah. & in leg. tres Tutores, ff. de administr. tut. quæ tamen perspicuis Judiciis probari debet l. quoties §. 1, ff. de probat. l. dolum C. de dolo.

Neque putarunt Domini constare de aliquo credito liquido Claræ, ad hoc ut valeat apposita retentionis exceptio ab hac petita immissione se tueri, etenim de suo dotali, quo pro rata scut. 1500. solummodo dicebatur justificatum, & ad cuius restitutionem Fabia insimul cum Paride se obligavit, præsumitur satisfacta ex retentione omnium bonorum ipsiusmet Paradis, & principalis debitoris, * & Anastas. ejus filii cohæredis etiam si Inventarium confecerit, donec de omnibus oneribus illius, ut dixit Rota dec. 696, n. 2, p. 1, dec. 535, n. 1, & seq. p. 5, in Rom. census 6 Martii 1645, §. dantur etiam cor. R. P. D. meo Peuting & in Tiburtina reditus rationis 3 Jun. 1642, §. tamen cum appareat cor. R. P. D. meo Melio, qua igitur satisfactioe Decisiones ad Tract. de Alimentis.

attenta non juvat. Clara Fabiam ad sui favorem pro dicta dotis restitutione in forma Cameræ se obligasse, cum solutionis exceptio * omnem dirimat actionem l. solvendo ff. de neg. gest. l. solutionem ff. de solut. Surd. decif. 113, n. 2, Rota decif. 544, n. 7, p. 5, rec. & passim admittitur contra obligationem Cameralem, Grat. discept. forens. c. 740, n. 3. Zacch. de oblig. Cam. q. 17, n. 3, Rota cor. bon. me. Coccino, dec. 857, & 1612, utique n. 4. Mant. dec. 240, n. 5.

Alterum, & secundum creditum sent. 200, quod præteritum resulfare ex totidem summa per Paridem Anastasii Patrem soluta Vicentino Fabiæ creditori, non videtur detrahendum ex bonis fideicommissariis, quia Anastasius omisit conficere Inventarium de illius bonis hæreditariis, * quæ 23 omisso licet non tollat quin hæres possit retinere contra fideicommissarium universalem quod defunctus sibi debebat, ut voluit Paul. de Castr. in l. ita tamen 27, §. si ex Trebell. ff. ad Trebell. Socin. sen. conf. 44, lib. 3, Attamen tali casu lex fingit in hæreditate defuncti extitisse bona, cum quibus potuit satisfieri de credito suo, * ejusque contrariæ assertioni non statur, per talem additionem sive beneficio legis & Invent. Confusæ remanent actiones, ut experiri non valeant prædicti crediti consecutionem §. hinc nobis auth. de hæred. & falcid. l. fin. §. si verò C. de jur. deliber. coram Card. Caval. dec. 246, n. 4, & seq. & in rec. 349, n. 4, & 5, p. 5, & Bald. in l. cum à matre 14, n. 5, C. de rei vend. Grat. c. 570, n. 19, & seq. Giov. conf. 20, in *fin. vers. quamvis lib. 2. Rota decif. in 6, n. 28, & 164, n. 3, p. 7, & in Civitatis Vetula dotis 27 Febr. & 25 April. 1643, cor. R. P. D. meo Cerro, & in Romana fideicommissi de Palatiis 28 Jun. 1647, in princ. cor. bo. me. Arguel.*

Postremò ad firmandum aliud creditum, non urget opposita exceptio non reddita rationis bonorum Paradis administratori à Fabia ab an. 1584, usque ad 1604, consentium in mobilibus, se moventibus, in certa quantitate olei, & vini, & diversis creditis, pro quibus Clara retentionem quoque opponit; quia ultra quod animadversum in primis fuit, quod hujusmodi administrationis redditio rationis haberi nequit, nisi ex libris tutelaribus, * quos Fabia, prout tenebatur ratione susceptæ tutelæ, præsumitur confecisse l. 1, §. officio ff. de tutel. p. 3, c. 1, n. 31, & 54, & nunc penes Claram hæredem Anastasii hæredis Fabiæ administratrix extare, * non autem à fideicommissariis retineri Aretin. conf. 120, n. 1, vers. defunctus ergo. Caval. dec. 545, n. 1, qui propterea ad redditionem d. rationis compelli non possunt, nec eam Claram petere, * nisi prius omnes libros necessarios exhibeat, Rota cor. Seraph. dec. 1224, n. 1. Caval. d. dec. 545, n. 2, & fuit dictum in Perusina fideic. de Rodolphis 26 Januar. 1654, cor. R. P. D. Cerro, quodque post terminatam de d. an. 1604, administrationem contra Fabiam, quæ supervixit usque ad 1623, nec unquam postea ab Anastasio qui defecit de an. 1650, fuit petita ratio prædictæ administrationis, unde ex taciturnitate tam longissimi temporis, * ultra 30 annos, quo durat actio, contra Tutores, illiusque hæredes ad reddendam rationem tutelæ l. 3, §. Hæc autem ff. de neg. gest. l. Tutores. Carbitr. tut. l. neque C. quibus non obstat long. temp. præsumpt. D. R. in l. maxime 30 ff. de admin. tut. Roland. ad alleg. conf. 19, n. 15, lib. 1. Juncta conjunctione sanguinis; & præsumptione sæpius calculatæ rationis resultante ex censuum præsumptionibus solutione debitorum, * & aliis à Fabia gestis, ut infra, oritur efficax conjectura redditæ rationis ad l. Procula de probat. Paul. de Castr. consil. 126, n. 2, vers. tollitur lib. 1, Sim. de Præc. conf. 112, num. 16.

17
18
19
20
21